

fit<sup>155</sup> hoc pugnare videtur cum libro Interim, quia Petrus per propriam interpretationem intelligi vult humanam interpretationem, quae libenter submit sibi potestatem interpretandi scripturas, ac si esset Spiritus sancti magistra. Tertius locus in hoc articulo „de traditionibus“<sup>156</sup> minus quam reliqui duo tolerari potest. Sicut enim scriptura sacra non habet nec iudicem nec 5 gubernatorem praeter filium Dei per suum sanctum Spiritum, ita ecclesia vera Christi non habet traditiones extra scripturas, sed iis, quae sunt in scriptura, contenta est. Nam cum ecclesia fundata sit supra verbum Dei, traditiones omnes, quae non sunt fundatae supra verbum Dei, ab ecclesia sunt alienae. Porro baptismus paruulorum non est traditio humana, sed Christi mandatum 10 in euangelio expressum: „Baptizantes omnes“<sup>157</sup> etc. Item: „Sinite paruulos venire ad me. Talium enim est regnum coelorum.“<sup>158</sup>

Negamus etiam potestatem iurisdicendi datam ecclesiae,<sup>159</sup> nisi dicat ex iure scripto, hoc est secundum verbum Dei.<sup>160</sup> Idem intelligimus de potestate decernendi deque autoritate synodorum, scilicet, quum synodus est legitime 15 congregata decernitque ex verbo Dei. [112:] Quantum ad potestatem condendi canones attinet, autor libri videtur apostolis iniuriam facere.<sup>161</sup> Non enim condiderunt canonem de abstinentia a sanguine et suffocato Act. XV,<sup>162</sup> sed amice scripserunt conuersis ex gentibus suum consilium, ut propter Iudaeos ad tempus abstinerent a suffocato et sanguine in casu scandali. Fuit quaedam 20 pia declaratio et officium ex charitate praestandum, alioqui ligaret totam ecclesiam perpetuo. Imo contra canones, qui humana autoritate conduntur, est aurea illa sententia, quae vetat in eodem capite iugum super ceruices discipulorum imponi et diuus Paulus non vult laqueos iniici conscientiis piorum. Ecclesia vera non agnoscit canones, edicta, decreta et mandata pontificum, 25 sed antiquissimas s. patrum regulas ex scriptura sacra decerptas et ad communem ecclesiae reformationem positas et ab omnibus christianis receptas. Dicimus igitur, quod illi canones, qui ad amussim scripturae sacrae examinati ecclesiam et fidem etiamnum hodie aedificant, suam apud omnes fideles 30 autoritatem habeant, qui vero nihil sani consilii habent et fidem vitamque christianam labefactant, non debent grauari pios nec vocari canones meren-

<sup>155</sup> II Petr 1,20.

<sup>156</sup> Vgl. Augsburger Interim XI, 69.

<sup>157</sup> Mt 28,19.

<sup>158</sup> Mk 10,14 par.

<sup>159</sup> Vgl. Augsburger Interim XI, 69.

<sup>160</sup> Die reformatorische Kritik am kanonischen Recht entzündete sich an der Ablasspraxis, die nach reformatorischem Verständnis dem göttlichen Wort widersprach. Die Verbrennung des „Corpus juris canonici“ vor dem Elstertor in Wittenberg markierte 1522 den Bruch mit der altgläubigen Jurisdiktion. In den evangelischen Kirchen entstanden die sogenannten Kirchenordnungen, die über kein kanonisches oder göttliches Recht verfügen, sondern lediglich zur Ordnung der Kirche dienen sollten. Vgl. Martin Honecker, Art. Kirchenrecht II. 2.1–2., in: TRE 18 (1989), 724–726.

<sup>161</sup> Vgl. Augsburger Interim XI, 69.

<sup>162</sup> Vgl. Act 15,28f.